



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

24. An si Edictum non publicetur, teneatur adhuc fæmina Confessarium
solicitantem denunciare sub pœna excommunicationis? Et an præceptum
Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios solicitantes ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

3. Notandum est tamen hic cum eodem Sancio ubi
supra, num. 64. quod si femina, quæ jam censuram
incurrit, denunciationis præceptum adimpleat, pote-
rit virtute Bullæ cruciata à quocumque Confessario
aboli à censura, nam satisfacta parte absolventis
privilegium ab omnibus censuris traditur in Bulla, vel
à Regularibus virtute privilegiorum, nec indigebit
femina fateri Inquisitoribus in Sacramento Peni-
tentia, nec extra se negligentem fuisse in denuncia-
tione, quod est valde observandum, quia quotidia-
num, & hoc procedit in omnibus aliis casibus con-
tents in edicto.

R E S O L. XXII.

An supradictæ denunciationes faciendæ sint ante confessionem, ita ut non possit Confessarius aliquem absolvere, nisi prius denunciaret, vel sufficiat, ut promittat denunciare? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 27.

Afirmativam sententiam docuit Avila de cens. par. 2. cap. 7. dub. 7. in fin. ubi sic assignat: [In rebus gravibus, precipue si pœnens sit homo ordinatus, curandum est, ut prius denunciet. Et hoc, licet nondum incurritur excommunicationem: quia, si prius obtineat absolutionem, facile solet id omittere: in casibus autem Inquisitionis remittendus est pœnens, ut prius denunciet, ut precipitur Edicto Inquisitionum.] Ita Avila.

2. Sed hoc limitat Zanardus *in direct. Theol. part. 2. precep. 2. cap. 11. in fin. fol. mibi 148* nisi necessitas communionis urgeat, & persona fit timorata conscientie, & promittit, & quam citius denunciare. Idem etiam docet Emmanuel Rodrig. *in summa. tom. 2. cap. 3. n. 6. ubi sic ait*: Deven notar los Confessores, que quando algun penitente les dixere, que sabe Fulano, haver dicho una heregia, le han de obligar a yr luego a los Señores Inquisidores a denunciard del, y no le pueden absolver, sin que primero fe haga la dicha denunciacion, pudiendole luego comodamente hazer, porque no se pudiendo poner en execucion, basta que lo prometa: Et Peccinus, qui novissime scriptus *in priv. Minimo. 1. Confis. 5. Greg. XV. §. 9. n. 24.* asserit, esse absolvendam illam penitentem, quæ firmiter promittit denunciarum Confessionem: si adit causa, propter quam prudenter Confessario videatur, denunciationem esse differendam. Et Sanctare. *tract. de heres. cap. 9. dub. un. n. 16. in fin.* ex Navarro, testante de praxi Sacræ Pœnitentiaræ, asserit, sufficere saltem propositum firmum denunciandi: & loquitur de denunciando heretico. Vide etiam Sancium *in Selectis disp. 1. n. 62.* & Portel. *in addit. dub. regul. verb. sollicitare sieminas, n. 24.* ubi aliqua verba, ex incuria Typographi, desiderantur: & Ortiz *in summa. cap. 24. n. 11.* cum aliis.

RESOL. XXIII.

*An femina post incurſam excommunicationem, quia non
denunciavit confeſſarium ſolicitantem ſit absolvenda
virtute Cruciatu, ſi promittat illico denunciare?
Et notatur non oſſe. Et ſol.*

Et notatur non esse absolvendum, qui excommunicatur, donec eiciat concubinam, nisi prius sit expulsa, nec sufficit, quod promittat expellere. Ex part. 4. tract. 5. Ref. 35.

§. 1. **V**idetur affirmative respondendum ex Lucio in *summa* cap. 24. n. 11. qui, ut refert Freitas in *tract. de Confess. solici. q. 21. n. 25.* asserit foeminae sollicitam absolvi posse virtute Bullæ ab excommunicatione quam contraxit ob omissam denunciationem.

dam tamen cogatur a Confessario denunciare Inquisitoribus; et in hac Sententiam videtur inclinare Freitas *libi supra*, n. 21., cum Rodriguez, sicut retinens rem alienam potest absolvi bis, et tunc iam proposito restituendi, et confirmari potest, quia contumax eo quod non vult ad iudicium venire, potest absolvi si cautionem stando iudicio praestiterit; ergo similiter qui promisit denunciare.

2. At his non obstantibus docet Sanctius in *selectis* tenendum esse potius, quam docet Sanctius in *selectis* *disf. 11. n. 62.* Avila de *conf. par. 2. cap. 7. dub. 7. in fine* & novissime Agidius Trullench in *Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. n. 11.* quia ait ille, in re tam gravem non est facile adhibenda fides promittenti denunciare, & contraria sententia licet stando in jure communi sufficere posset, & attenta solùm natura præcepti: at supposita excommunicatione tenenda non est, nam cum à peccatis nemo absolvi valeat, nisi à censura ante immunitus sit, & à censura illa absolvi nequeat per Bullam, nisi prius satisfacta parte, videlicet Inquisitoribus, sit ne semel quidem feminam fore absolvendam, &ideo fit femina consecratur post habitam notitiam delicti, & post terminum lapsum negligentem se fuisse in delatione criminis, ne quidem semel absolvi poterit (justa tamen causa non intercedente, de qua diximus in *loco citato*) quamvis fidem det se illico denunciaturam: sicut non est absolvendus, qui excommunicatur, donec ejiciat concubinam, nisi prius expulsa, nec sufficit quod proponat expellere, ut docet Suarez de *conf. disf. 7. §. 8. c. 5. num. 4.* Gutierrez in *qq. Canon. lib. 1. cap. 5. n. 50. & 31.* Sotus in *4. diff. 22. q. 2. art. 3. & alij.* Vide Sanctium & Trullench. *locis citatis.*

R E S O L. XXIV.

*An si Edictum non publicetur, teneatur adhuc fœmina
Confessarium solicitantem denunciare sub pœna ex-
communicationis?*

*Et in præceptum Inquisitorum circa denunciationem in
Confessarios sollicitantes sit perpetuum, & per conse-
quens etiam excommunicatio perpetua, & alij qua-
tuor casus adnotantur circa supradictum Edictum con-
tingentes, Ex p. 4. tr. 5. Ref. 41.*

9.1. ^{Sup. hoc in} Vppono Edictum Inquisitorum annuale esse ^{Ref. (eq. ad}
^{med. verbi} nec finire per terminum infillo appositum, sed ^{Vade.}
durare per integrum annum, cum singulis annis pu-
blicetur. Sed difficultas est, quid dicendum si Inquisi-
tores particulares ex negligentia, seu alio capite Edi-
ctum non publicarent, an femina teneretur denun-
ciare? Respondeo affirmative non sub pœna censura-
rum, quia obligatio denunciandi hæreticum, vel de
hæresi suspectum, est perpetua, licet Edicta non pu-
blicentur infidelitas censuras, & alias pœnas, & ita
docet Freitas in novis. editione ad tract. de Confessio-
9.2.1.44. Et 58. asserens hoc esse verum quoad obli-
gationem denunciandi, non autem quoad incursiorem
censurarum, cum in Edicto non sint contravenientibus
inflicta, & in Bullis Pontificis non imponitur
pœna excommunicationis in feminam non denun-
tiantem Confessarios solicitantes.]

2. Sed ego puro in tali casu non denunciante non
solum peccare mortaliter ex natura rei, sed in cen-
suras incurrere, quia Confessarii sollicitantes sunt de
hæresi vehementer, vel saltem leviter suspecti, ut do-
cet Aloysius Barolia in tract. de Confess. solic. post Flo-
res Inquit. Genueus in praxi Archiep. cap. 66. nume-
ro 2. Modus de sacris Ordin. cap. 17. numero 6. Sessio
4. decis. 449. num. 3. Acugna de Confess. solic. qua-
stione 1. numero 20. Castrus Palaus tract. 4. disputat. 9.
K k 2 punct.

rt. 8.^o Ref. 22.
§ Notant ad
med. à vers.
quia affectus
& quāvis nō
pro Crucia-
ta lege ta-
men hic su-
pr. doct.
præcedentis
Ref.

Sup. hoc in
Ref. seq. ad
med. vers.
Vnde.

punct. 6. 1. & alij. Sed adest præceptum sub die 3. Januarij 1623. sacre uhiuers. Inquis. Romanæ de hæret. seu hæresi suspectis judicialiter propalendis sub poena excommunicationis lata sententiæ: ergo, &c. Tenor autem supradicti præcepti hic est. Vniuersis & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus utriusque sexus cuiusvis status, Ordinis, gradus, conditionis, & præminentie existentibus, & quacumque dignitate & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie ac tenore auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus quatenus infra duodecim dies proxime computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor primis quatuor immediatos pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & perceptorio ac trina monitione canonica assignamus omnes & singulos hæret. seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reverendo Commissario nostro quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Urbem & ubivis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis maioris latae sententiæ, poena, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reservamus. Certificantes huiusmodi conscientie suæ immemores, ac dictam excommunicationis poenam contemnentes, quod contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores aliàs prout melius visum & juris fuerit procedatur, ideo, &c. Datum in nostra & Officij S. Roman. univ. Inquis. Congregat. die 3. Ianuar. 1623. Octav. Episcop. Prænestin. Cardin. Bandinus. C. Card. Madrutius. Ioan. Garfia Card. Mellinus. Fr. Card. Verallus. G. Card. Borgia. Fr. Felix Card. Asculanus. S. Cardin. S. Susanæ. Fr. D. Card. de Cremona. L. Card. Ludovisus. L. Cardin. de Lavalette, Andreas de Peitinis S. Rom. & univ. Inquis. Notar.

3. Et licet aliqui opinati sint supradictum præceptum sacre Congregationis non fuisse perpetuum, quia proponitur sub nomine præcepti, & non decreti, attamen falluntur, quia si diceret decretum, nullus dubitaret quin esset perpetuum: at præceptum & decretum sæpius confunduntur in iure, ut notat Tusch. *verb. Præceptum, concl. 480. num. 4. & 11.* & clarius apparet ex Constit. Sixti Vicariorum agitationes taurorum, quam refert Gutierrez lib. 1. canon. 99. cap. 7. num. 36. ubi postquam retulisset Pontifex constitutionem quamdam Pij V. & Greg. XIII. ait, *Nos ut Romanorum Pontificum præcepta prout decet inviolabiliter observentur.* Vbi constitutionem Pontificum vocat præcepta. Deinde ex dicto præcepto nullum apparet finem, quare non debeat esse perpetuum. Illud enim, *Præcipimus ut infra duodecim dies proxime computandos, &c.* intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti, & colligitur ex eo, quia obligat ubique locorum, & poena indefinitè posita perpetua est: proponitur autem sub nomine præcepti fortè, quia id est familiarius illi sancto Tribunali. Et hæc omnia observat, & docet Laurentius de Peyrinis de priv. m. tom. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. num. 27. Igitur non denunciantes hæreticos, vel de hæresi suspectos, ut est in casu nostro, ex decreto perpetuo Sacre Congregat. incurrunt in excommunicationem latae sententiæ.

4. Notandum est etiam Sancium in selectis, diff. 11. num. 62. docere, Præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios sollicitantes esse perpetuum: & per consequens excommunicationem quoque perpetuam: sed hoc impugnat Freitas *loc. cit. num. 58.*

5. Non desinam tamen hic adnotare circa materiam Edictorum pro praxi id, quod docetidem Freitas *ubi supra n. 41. & seq.* quod quando per Edictum jubentur scientes denunciare intra sex primos dies, inter eos non numeratur dies primus publicationis. Vnde cum dies naturalis 24. horarum spatio circumscriptur, incipit terminus à sequenti die & hora, qua Edictum in præcedenti promulgatum fuit: ac subséquens Edictum publicatur in Dominica, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora.

6. Secundò notandum tempus Edicti computandum de momento ad momentum, ita ut nec ignorantia, nec impedito currat: putat enim Freitas *ubi supra* nullam constituendam esse differentiam in hoc casu inter ignorantem & impeditum, nam iura ignorantibus, & impeditis æqualiter favent, licet Suarez, ut *supra* observatum est, de cens. disputat. 20. sect. 3. numero 14. & alij teneant, quod obligatio denunciandi intra certum terminum data ignorantia publicationis, incipit eo transacto cum æquali termino: si verò non ignorantia, sed impedimentum aliquod occurrat, eo cessante, statim ligabit, & de hoc *supra* dictum est.

7. Notandum est etiam cum eodem Freitas n. 70. & 71. Edictum Inquisitorum non comprehendere hæreticos, & eorum complices, quia hæreticus non tenetur se prodere, neque complices, quia illos denunciando se ipsos prodent, nec per id impeditur Officium Inquisitionis, quod procedit in foro exteriori; fallit hoc tamen in femina sollicita contentiente, ut *supra* ex epist. Card. Millini probatum est, & docet novissimè Hieron. Rodrig. in compen. 99. regul. resol. 131. n. 11. & 12. nam tenetur denunciare Confessarium eo modo, quo *supra* declaratum est, cum tali denunciatione nulla sui nominis, seu honoris jactura obvenire potest.

8. Notandum est etiam hic obiter, quod licet supradictum sit verum, quod non incurrat in censuras positas in Edicto, si quis non denunciavit alios ex metu gravis damni, videlicet vitæ, bonorum, &c. tamen adverte eos, qui ad Edicti observantiam non tenentur, propter metum amissionis vitæ, vel bonorum eorum, qui denunciantur excusari propter metum injustum ex aliorum malitia illarum, non propter justum per leges impostum, qui non excusant. Vnde non sunt intelligendi Doctores de penis contra hæreticos impostis, quæ iustissimæ sunt, & ita docet Freitas *ubi supra*, q. 9. n. 20.

RESOL. XXV.

An femina sollicitata teneatur sub mortali denunciare Confessarium?

Et an quamvis per Inquisitores Edictum denunciandi non publicetur, teneatur penitens sollicitata denunciare post habitam sufficientem notitiam Decreti Greg. XV. Ex p. 4. tr. 5. Rel. 3.

§. 1. Respondent affirmativè Acugna de Confess. *sollicit. q. 21. num. 6 & seq.* Henriquez lib. 6. cap. 2. num. 6. in fine. Sanctarellus de heresi. 46. dub. 1. n. 30. Rodriguez in quest. Regul. tom. 1. q. 27. art. 1. & alij communiter, & hoc magis clarum est post Bullam Gregor. XV. & in illis verbis mandantes omnibus Confessariis ut suos penitentes, quos noverint fuisse, ut *supra*, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes. Vnde quamvis per Inquisitores Edictum denunciandi non publicetur, tenebitur penitens sollicitata denunciare post habitam sufficientem notitiam dicti Decreti Gregor. X V. ut optime notat Sancius